

Patet igitur, quàm exiguum sit discrimen, inter ea loca harum affixarum Stellarum, quæ tunc temporis constitueramus, & illa, quæ ex nouitijs & exactioribus Observationibus deprehensa sunt, adeo, ut in tribus prioribus, & quinque posterioribus, differentia hæc uix duo aut tria, ad summum, scrupula in longitudine, latitudineq; attingat. In quinque intermedijs, à sinistro Humero α , usque in lucidam colli Pegasi, etsi paulò maior uarietas reperitur, tamen hæc, cum sena scrupula prima (quæ non magni momenti in hoc negotio habentur) nusquam in longitudine excedat, latitudine satis congruente (utpote quæ binorum saltem scrupulorum, & in unica Stella, quæ est in sinistro humero α , ternorum, ad summum, differentiam ingerat) non magnoperè estimanda uenit; ut non satis mirari queam, qui fieri potuerit, ut in ea Instrumentorum penuria, & tam lubrica obseruandi, ac loca Stellarum in longum latumq; redigendi uia, tam propè tamen scopum petitum collimarim. Quare, cum non euidens alicuius momenti sit discrimen, in ijs, quibus ex prioribus Observationibus in hoc libro usus sum, Stellarum locis, & ijs, quæ reuera in Cælo obtinere postea exactius animaduertimus, nolui ob adeo pauca, quæ desiderantur scrupula, uniuersum calculum, eorum locis in toto hoc libro fundatum, tædioso & molesto potius, quàm utili uel necessario labore, sub incudem reuocare; præsertim, cum nullum euidens & sensibile discrimen, in apparitijs Comete, quò minùs ritè constituta sint, hæc minutula discrepantia insinuet; Et parallaxes, quas potissimum inuestigare (eò quòd præcipua consideratio in his uersetur) animus erat, nullatenus ob id, alio modo, quàm suo loco indicatae sunt, proueniant: Siquidem, in ijs, per interuallum aliquod temporis interlapsum, enucleandis, eandem utrobique Stelle eius, cuius usus commodior offerebatur, longitudinem & latitudinem assumserimus, unde, si uel maior, quàm quinque aut sex scrupulorum, à uero, in eius loco, aberratio admissa fuisset, nihilominus rei inquirendæ certitudinem hac in parte non impediret. His ita-

que in hunc modum satis competenter constitutis, nunc,
iuxta propositum ordinem, ad reli-
qua progrediemur.



CAPVT TERTIVM.

De Cometae longitudinibus & latitudinibus, ex distantijs à certis quibusdam fixis Stellis, ad singulos Observationum dies, Triangulorum Sphæricorum inductione, disponendis.

REstitutis itaque in hunc modum fixarum locis, quibus in huius Comete Observatione opus erat, reliquum est, ut per distantias, quas primo Capite suis diebus ordine annotauimus. Ipsius etiam loca secundum longitudinem & latitudinem, per Sphæricorum

CORUM